

dem sola discrepat. Leniter emollit. Resina porrò neque conseruationis, neque voluptatis gratia, sed coloris crassamentique causa vnguentis adiicitur. Misctur autem terbinthina decocta, donec oleum desinat. Eius verò coquendæ ratio in resinae tractatione declarabitur.

*De Hedychroo.* CAP. LXX.

Sed & quod Hedychroon cognominat, quodque in Co præparatur, eisdem vires cundemque præparandi modum cum Amaracino obtinet: at odoratus existit.

*De Metopio.* CAP. LXXI.

Præparatur & in Ægypto vnguentum, vernaculo nomine Metopium dictum: scilicet propter galbani permissionem. Li- guum enim è quo galbanum emanat, Metopion Ægyptiis appellatur. Ex oleo omnipacino & amygdalarum amatarum, cardamomo, scheno, calamo, melle, vino, myrra, balsami semine, galbano & resina componitur. Probatur quod grauter olet ac pingue est, quodque cardamomum & myrram potius quam galbanum resipit. Vehementer autem calfacit, adurit, ora vasorum aperit, attrahit, ulceraque expurgat. Ad neruos & musculos præcisos efficax est, itemque ad aquosos ramiccs, septicis emplastris adhibitum. Malaginatis

etiam ac ceratis inseritur. Rigoribus quoq;  
ac retrorsum curuato corpore conuulsis  
conducit. Cier & sudores, atque vteri vasorum  
oscula referat, eiusdemque duritas la-  
xat. Atque in vniuersum molliendi vi præ-  
ditum est.

*De Mendesio.* CAP. LXXII.

Quod Mendesium dicitur, ex balañino  
conflatur oleo, myrrha, cassia & resina. Non  
nulli postquam alia singula certis ponderi-  
bus iniecerunt, cinnamomi exiguum insu-  
per addunt, sed utilitate nulla. Nec enim  
suas vires conferunt, quæ non simul contri-  
ta fuerint. Cæterum similem Metopio vim  
obtinet, attramen inferiorem.

*De Stacte.* CAP. LXXIII.

Stacte verò vocatur, pinguitudo recentis  
myrrhæ cum aqua pauca contusæ & orga-  
no-expressæ. Ea per quam odorata ac pre-  
tiosa est: quippe quæ vnguentum per se fa-  
ciat, quod stacte nominatur. Probatur quæ  
olei nihil admixtum habet, quæque vel mi-  
nima quantitate vim maximam fortita est,  
nimirum calfactoriam, ac myrrhæ vnguen-  
tisque calfacentibus proportione repon-  
dentem.

*De Cinnamomino.* CAP. LXXIIII.

Cinnamominum ex oleo constat balarri-  
no, & xylobalsami, calami ac scheenii spissa-  
mentis.

mentis: cinnamomi vero, balsami seminum & quadruplicae ad cinnamomum myrrhae odoramentis. Quin & ad ea ipsa subigenda mel adficitur. Probatur minimè acre, molli odore, myrrhae quiddam referens: quippe quod crassum sit & odoratum, ac gustu per quam amaro. Tale enim non à resina, sed myrrha, crassitudinem obrinet: quin neque resina amaritudinem, neque odoris gratiam addit. Vim habet admodum acrem, calfacentem & amaram. Proinde ora venarum calfaciendo aperit: humores quoque ac flatus discutit, diffundit & attrahit: sed caput aggrauat. Facit & ad vulvae vitia cum oleo duplo, cera & medulla: sic enim de acrimonia sua multum amittit; emolliendiq; vim asciscit. Nam alioqui comburit, ac præcæteris crassis vnguentis vehementissimè indurat. Ad fistulas etiam ac putredines euidenter est efficax: itemque ad aquosos ramicos, carbunculos & gangrenas, cum cardamomo. Quin & ad rigores circuitu redentes, tremores ac virulentarum bestiarum morsus, illinitur: scorpionum vero istibus phalangiorumq; morsibus cum tritis grossis imponitur.

*De Nardino Enguento.*

CAP. LXXV.

Nardinum vnguentum variè addito ma-

E. J.

labathri folio, aut sine eo, præparatur.

Vt plurimū autem balanino oleo aut omphacino, spissandi quidem gratia iuncus odoratus admissetur: ad odoris verò gratiam conciliandam, costus, amomum, nardum, myrrha, balsamum. Laudatur tenuē, minime acre, nardi aridae aut amomi odo-rem retinens. Vis ei extenuans, actis ac de-tergens: nec non & humores rarefaciendi & excalfaciendi vi pollet. Liquidum verò est, nec habet strigimenti crassitudinem, nisi resinam recipiat. Conficitur quoque vilius ex omphacino oleo, iuncō, calamo, costo atque nardo.

*De Malabathrino.* CAP. LXXVI.

Malabathrinum seu Foliatum eadem ha-  
bet quæ nardinum spissamenta, myrrhæ au-  
tem plusculum additur: qua de causa calfa-  
cit, crocino aut amaracino viribus respon-  
dens.

*De Myrrha.* CAP. LXXVII.

**M**YRRHA lacryma est arboris nascen-  
tis in Arabia, Ægyptiacæ spinæ simi-  
lis: quæ quidem incisa lacryma in substratas  
tegetes destillat, pars verò circa caudicem i-  
psum concrevit. Ac myrrha quidem quæ-  
dam pediasimos, quasi campestris, appella-  
tur, pinguis: qua expressa, ita te excipitur.  
Alia verò Gabirea, læto ac pingui solo pro-  
ueniens,

ueniens, quæ multam quoque stactem su-  
dat. Primas verò tenet quæ Troglodytica  
cognominatur à loco in quo gignitur; sub-  
uiridis ea quidem, mordax atque pellucida.  
Colligitur etiamnum tenuis quædam, quæ  
à Troglodytica secunda est, bdellij modo  
lentescens, odore quodammodo viroso, lo-  
cis nascens apricis. Alia Caucalis dicitur,  
e-  
xoleta, nigra & retorrida. Omnia deterri-  
ma quæ Erga sima nominatur: quippe quæ  
sit squalore obsita, acris ac minimè pinguis,  
& aspectu viribusque gummi referat. Im-  
probatur etiam quæ Aminea nominatur.  
Ex iis porrò expressiones fiunt: è pinguibus  
quidem, odoratae ac pingues: è siccis verò,  
haudquam pingues, nec odoratae, inua-  
lidæ: propterea quod oleum dum confor-  
marentur asciuerint. Adulteratur permisto  
gummi aqua macerato in qua myrrha ma-  
duerit. Eligito recentem, friabilem, le-  
uem, vndiquaque concolorem, quæque  
contracta intercurrentes lineas intrinsecus  
habeat candidas, vnguium speciem prese fe-  
rentes ac lœves: quæque insuper minutis sit  
glebis, amara, odorata & acris. Ponderosa  
autem & quæ picci coloris est, inutilis cen-  
setur. Vim habet calfaciendi, fluxiones si-  
stendi, soporem inducendi, glutinandi, sic-  
candi & astringendi. Emollit etiam præclu-

E. ij.

sam vuluam & aperit. Menses & partus cele-  
riter extrahit , cum absinthij vel lupino-  
rum diluto aut rutæ succo admota. Deglu-  
titur verò catapotij instar ad molem fabæ,  
contra diuturnam tussim, orthopnoeam, la-  
teris ac thoracis dolorem , alii profluuium  
atque dysenteriam. Rigores quoque maxi-  
mèque quartanarios, discutit, horis ante ac-  
cessionem duabus cum pipere & aqua, fabæ  
magnitudine, pota. Subdita lingua liquata-  
que, arterię alperitatem ac vocis raucitatem  
emendat. Quin & lumbricos enecat, & ad  
oris graueolentiam commanducatur. Ad-  
uersus alarum tædia cum alumine liquido  
illinitur: cum vino verò & oleo colluta, den-  
tes ac gingiuas stabilit. Inspersa quoque, ca-  
pitis vulnera glutinat. Fractis auribus nuda-  
tisque ossibus cum cochleæ carne peruncta  
medetur. Itémque putulentis auribus , nec  
non & inflammatis, cum meconio, castorio  
& glaucio. Ad varos autem , cum cassia &  
melle illinitur. Impetigines ex aceto deter-  
git: defluentes capillos cum ladano, vino &  
myrtino oleo firmat. Diuturnas etiam de-  
fluxiones compescit , si narium pinnæ illi-  
natur. Oculorum ulcera complet, exterit  
que albugines & ea quæ pupillis tenebras  
offundunt: quin & scabritias seu aspitudi-  
nes expolit. Fit & ex ea, quemadmodum è  
thure,

thure, fuligo, veluti postea ostendemus, ad eadem efficax.

*De Bœotica myrrha.* CAP. LXXXVIII.

Bœotica verò myrrha ex arbore quadam in Bœotia nascente stillat, incisa radice. Eligito quæ myrrham odoris suavitate repræsentet. Calfaciendi, moliendi, diffundendi que vi pollet. Utileiter quoque suffimentis inseritur.

*De Styrae.* CAP. LXXXIX.

**S**TYRAX lacryma est arboris cuiusdam cotoneæ malo similis. Præfertur flauus ac pinguis, resinofus, albanticibus grumis, quam diutissimè in sua odoris gratia permanens, quicque dum mollitur subigiturve, melleam quandam humiditatem ex se remittit. Talis est Gabalites, itemque Pissidiæcus atque Cilicius. Deterior niger, friabilis ac furfurosus. Iauenitur & lacryma gummi similis, translucida, myrræ æmula: verùm hæc per pauca nascitur. Adulteratur porro arboris ipsius scobe, quæ vermiculorum erosione facta fuerit, admisto melle ac iridis crassamento & quibusdam aliis. Nonnulli quoque ceram aut sebum aromatis imbutum ad Solem acerimum vñâ cum styrace subigunt, & per colum latis foraminibus peruum in aquam frigidam quasi vermiculas effingentes exprimunt & venundant.

E. iii.

Styraceum hunc ideo Scolecitem, quasi vermiculatum, coguominant: atque imperiti tanquam sincerum admittunt, non attentes ad insignem odoris vehementiam. Est enim admodum acris, qui fraudis expers est. Vim habet calfactoriam, emollientem & concoctoriam. Medetur tussi, distillationibus, grauedinibus, raucitatibus & vocis interceptioni: vulvæ quoque præclusæ duritiâque laboranti conuenit. Cit menses potu apposituque, & aluum leuiter mollit, si exiguum cum resina terebinthina deglutiatur. Utiliter etiam malgmatis discutientibus & acopis admiscetur. Vritur autem, asfatur torreturve: atque ex eo, quem admodum & è thure, fuligo colligitur: quæ quidem ad eadem ad quæ thuris fuligo, accommodatur. Styracinum verò vaguentum quod ex eo in Syria concinnatur, calfacit ac potenter emollit: verùm capitis dolorem grauitatémque ac soporem conciliat.

*De Bdellio.* CAP. LXXX.

**B**DELLIVM nonnulli madelcum, alij bolchum appellant. Lacryma est arboris Saracenicæ. Probatur gustu amarum, translucidum, taurino glutini simile, pingue intima parte, & facile mollescens, lignorum ac sordium expers, in suffitione vnguis odorati in modum odoratum. Est &

alterum sordidum ac nigrum, grandioribus  
glebis, in offas conuolutum, quod quidem  
ex India aduehitur. Defertur etiam à Petra  
oppido siccum, resinosum, subliuidum, sed  
facultate secundum. Adulteratur admixto  
gummi: verùm ita vitiatum non perinde  
gustui amaritudinem repræsentat, neque  
vsqueadè suffitionibus odoratum est. Vim  
porrò obtinet calfaciendi, molliendi, discu-  
tiendi duritias, turgescientia guttura, & a-  
quolas hernias, ieuni saliuæ dilutum. Tum  
appositu, tum etiam suffitu vuluæ spiracula  
laxat, & partus humiditatémque omnem  
extrahit. Calculos potu cōminuit, & vri-  
nas dicit. Tussientibus, & iis qui à virulen-  
tis bestiis demorsi fuerint, vtiliter exhibe-  
tur. Valet quoque ad rupta, conuulsa, lateris  
dolorem & vagos ac discurrentes flatus. In-  
seritur & malagmati que ad duritias & no-  
dos neruorum conueniunt. Contusum verò  
subigitur, affuso vino aut aqua calida.

*De Thure.* C A P . LXXXI.

**T**HVS in ea quidem Arabia gignitur,  
quæ Thurifera cognominatur. At pri-  
mas tenet masculum stagionas appellatum,  
naturæ sponte rotundum. Tale autem mi-  
nimè sectum est, candidumque visitur, &  
cùm frangitur, intrinsecus pingue, cùmque  
adoletur, statim ardet. Indicum verò, sub-

E. iiiij.